

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5507

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1297, 27 avril

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas de Maeserey et Petronille, sa femme, vendent à Julien de Zancate, chanoine de Coutances, pour six livres tournois, une rente de six boisseaux de froment sur la paroisse de Cambernon. Ils tiennent cette rente de la dot de Petronille constituée par son père, Pierre Basire.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 319, p. 456-458.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis Constanciensis, salutem in Domino. Noveritis quod, presentes in jure coram nobis Nicolaus de Maeserey et Petronilla, uxor sua, cum auctoritate dicti Nicholai ad hoc eidem uxori prestita, coram nobis, de Savigneio, recognoverunt spontanee se vendidisse, concessisse et ad finem dimisisse, pro sua communi utilitate, viro venerabili Juliano de Zancato, canonico Constanciensi, sex bussellos frumenti ad mensuram Constanciensem annui redditus ad festum sancti Michaelis, quem redditum eisdem conjugibus debebat annuatim et reddebat ad idem festum Petrus Basirie, pater dicte Petronille, de maritagio ipsius P[etronille] ; qui quidem pater redditum hujus attornaverat et assignaverat dictis conjugibus supra quamdam peciam terre sitam in p[arrochia]a de Chambernon duas acras integre continentem, junctam ex uno latere ad terram ipsius P[etri] Bazire et attingit similiter ex uno capite ad terram ejusdem P[etri] et ex alio latere ad terram Mathei de Montoc et butat ex alio capite ad terram quam tenet Johannes Savari, ratione Eremburge uxoris sue ; pro sex libris tur. quas dicti conjuges confessi sunt recepisse et habuisse ab eodem canonico in pecunia numerata ; percipiendos, habendos ac in perpetuum possidendos eidem J[uliano] de Zancato et cuicumque alii qui ratione dicti canonici jus aliquod habuerit in redditu supradicto libere et quiete, cum omni jure quod dicti conjuges et unusquisque ipsorum habebat et ad ipsos pertinebat in redditu et in pecia terre predicta, sine reclamatione et contradictione aliqua dictorum conjugum heredumque suorum super hiis decetero faciendis. Et poterit idem J[ulianus] de Zancato et quicumque alii qui jus ibidem habuerit ratione ipsius J[uliani] supra duas acras terre predictas suam justiciam plenariam exercere pro dicto redditu nisi sibi annuatim libere redderetur sine contradictione alicujus ; dictique Nicolaus et Petronilla tenentur ut promiserunt, videlicet eorum quilibet in solidum venditionem, concessionem ac dimissionem supradictam prefato J[uliano] de Zancato et cuicumque alii voluerit idem J[ulianus] dictum redditum dare, vendere vel alias obligare, garantizare et defendere, integre contra omnes eundemque redditum penitus liberare, ac in eorumdem conjugum hereditatem proximam valore ad valorem excambiare, si forte garantizare non possent, ipsumque Julianum et alium

quemlibet jus aliquod seu causam habentem ibidem ratione ipsius J[uliani] indempnem super hiis modis omnibus observare, pena sex librarum tur. inde apposita a dictis conjugibus, videlicet ab uno quoque ipsorum in solidum solvenda prefato canonico aliive cuilibet jus aliquod habenti in premissis ratione ipsius canonici, si dicti conjuges vel eorum alter deficerent vel aliquo premissorum, ita quod dicta pena soluta quociens eam committi contingerit ratus erit, nichilominus presens contractus prout dicti conjuges voluerunt se quemlibet in solidum heredesque suos et bona sua omnia, mobilia et immobilia, dicto J[uliano] de Zancato propter hoc efficaciter obligando de premissis faciendis fideliter et implendis et de non veniendo contra juramentis a dictis conjugibus et specialiter ab eadem uxore conquestu dotis, doerii seu maritaggi impediti vel incelabrati, aut alia de causa seu ratione prestitis corporaliter coram nobis dictaque Petronilla de premissis inviolabiliter observandis a nobis monita viva voce voluit et concessit se absque alia monitione a nobis excommunicari et tanquam excommunicatam et perjuriam vitari et puniri sibique in foro quolibet omnem audienciam denegari si ipsa contra premissa vel eorum quodlibet venerit vel fecerit seu venire vel facere contenderit per se vel per alium in posterum quoquomodo ; renunciaveruntque super hiis prefati Nicolaus et Petronilla exceptioni doli mali, fori falsi, non numerate pecunie, constitutioni duorum reorum debendi et promittendi, privilegiis crucis indultis ac indulgendis, et specialiter dicta Petronilla juravit quod inhibet res dotales alienari, beneficio senatus consulti Velleiani et aliis universis. Et nos ipsos conjuges volentes et consencientes quemlibet in solidum ad hoc dicto J[uliano] de Zancato condempnamus. In cujus rei testimonium, sigillum curie Constanciensis unacum sigillis dictorum conjugum presentibus est appensum. Actum et datum Constantiis, anno Domini M° CC° nonagesimo septimo, die veneris post festum sancti Marci evangeliste. Qua die dictam Petronillam monuimus ut prefertur, eademque die prefatus Nicolaus eidem P[etronille] uxori auctoritatem ad premissa prestitit coram nobis. Actum ut supra de consensu partium.